



Iohannes honestis parentibus in Franconia natus est, Annū natiuitatis Domini circiter millesimum quingentesimum quintum. Hic cum prima artium & linguarum principia in patria foeliciter didicisset, sese ad Heydelbergensem Academiam contulit, & Philosophiæ diligentem operam nauauit. Itaque etiam artium Doct̃or creatus fuit. Cum autem Historiarum & Poëtarum lectione plurimum delectaretur, atque uarias rerum mutationes etiã usu cognoscere optaret, aliquandiu Cæsaris castra secutus, expeditioni Turcicæ interfuit, atque suæ industriæ quædam documenta in Vngaria reliquit. Inde ad studia reuersus Heydelbergam rediit, atque Græcæ linguæ professor constitutus fuit. In ea Academia

Iohannes legendo & scribendo sese publicè atque priuatim talem exhibuit, ut reliquis professoribus ornamento esset, multique bonarum artium alumni ob nominis eius auctoritatem eò confluerent. Erat enim docendo fidelis, atque rebus explicandis foelicissimus. Hunc ego anno post reparatam salutem humanam millesimo quingentesimo quadragesimo Heydelbergam ueniens, per trienumium præceptorem habui, atq; Euripidem & Theocritum Græcos Poëtas enarrantem audiui.